

pesimam; Optimam autem appellat, cum peccator peccatorum suorum etiam nuper remissorum in confessione, conscius iterum incipit aut pergit dolorem & terrorem concipere & ad Christum confugere ejusque; instituto Sacramento tanquam preparato pharmaco uti in remissionem omnium peccatorum, etiam mortaliuum, & quorum quoque; conscientia habetur; & in confirmationem simul hujus hac vice acceptae remissionis. Hec mens B. Lutheri, ut opus non habuerit Bellarminus eum hoc nomine allatrare, indeque; larvam, cum qua disputet, sibi fingere Tom. 3. lib. 4 cap. 17. Hic datur quoque facile intelligere, quam puritatem sancti Patres commendent & magno fervore in scriptis suis urgeant ante usum S. Cenae comparandam. Est illa, quam destituitur peccator adhuc impoenitens, & quam habet, qui verâ pœnitentiâ ante Sacramentum hoc Deo reconciliatus est, prout Porisma nostrum habet. Videatur Ambrosius in Orat. ante Missam: quantâ cordis contritione & lachrymarum fonte, quantâ reverentiâ & tremore, quantâ corporis castitate & animæ puritate illud divinum & celestem mysterium est celebrandum &c. Chrysostomus in c. 3. Eph. Cum tali puritate accede semper, sine hac nec presumas unquam (accidere). Regem utique non audias osculari, si ostium olet graviter, & regem cœlorum impudens oscularis anima olente. Bernhardus de Cœna Domini: sicut serpens aquas ingressurus venenum deponit; ita quoque; accessu ad Cœnam Domini, peccati venenum deponere debemus. Hec & alia soli impoenitentiae opponunt, nec pœnitentiam ab usu S. Cenæ excludere possunt, quia contritionem, lachrymas pœnitentiae, reverentiam & tremorem cum usu S. Cenæ conjungunt, quæ partes & signa veræ pœnitentiae sunt.

S. 47. Postquam igitur nostra quæstio ex hoc argumento dilucidè probata est, possumus jam uno statu primarias Bellarmini summo conatu etiam ex Patribus coacervatas argumentationes dissipare, dicendo, mundationem, precedentem remissionem peccatorum à nobis non negari, sed eam nihil derogare asserto itidem nostro, quo cum Scriptura confitemur, in S. Cenâ remissionem peccatorum querendam esse etiam absolutis peccatoribus, eam ibi offerri, exhiberi, applicari singulis credentibus & insimul obsignari: & hoc fieri possit, quandoquidem remissio peccatorum iterari queat & debeat etiam, cum à Deo nobis eum in finem, plura sint prescripta & ordinata media